

SIMON LEMNIAS RHETVS.



Simon apud Rhetos in Heluetia natus & educatus est. Is optimis literis à teneris annis operam dedit, & sua industria Gr̄carum literarum & artis Poétices magnū sibi hinc inde in Academījs usum comparauit. Vnde uertit Dionysium de situ orbis uersibus heroicis, qui Venetijs anno 1543 excusus fuit. Pari ratione Homeri Odyssaea heroico carmine transtulit, atq; Bucolicorum quinq; Ae-glogas conscripsit. hisce (ipso petente) Epigramma adieci, in quo omnes dictiones à litera M incipiunt. Scripsit etiam libros quatuor de uirtutibus moralibus carmine. Cum hoc modo in literis promouendis fœliciter pergeret, peste grassante

Curiæ Heluetiorum fatis concessit, anno 1550. Habuit is conterraneum Ioannem Pedionæum Rhetum, eumq; contemporaneum, qui & ipse uaria carmina scripsit, & hoc modo passim inter doctos innotuit.
Con. Geff.